



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Bibliotheca Rhetorum**

In quo Causae Forenses, Liber Epistolarum, Liber Fabularum, Et  
Oratiunculae

**Le Jay, Gabriel François**

**Ingolstadij, 1726**

Pro Thesi D. Achillis de Soubeyran.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71049](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71049)

mini argumentum erit, quodd intermissum longiori ac repetitâ sæpiùs ægritudine studiorum curriculum, confirmatâ nondum valetudine operosius redemisti; & quod alii reparandis viribus tribuendum censuissent feriarum tempus, idem tu feriarum ac difficili, si qua est, exercitationi mancipasti.

Equidem scio dotes illas egregias, quas laudamus in te plurimum, ac suspicimus, fructum esse liberalis illius educationis, quam hausisti domi, cum ab illustrissimo parente, tum ab ipsâ piæ sedulæque matris operâ, cui nihil antiquius fuit, quàm ut in te & amantissimo fratre tuo, cui Rex ante tempus ad ineundum Magistratum viam aperit, excoleret felicem indolem, & bene præparatos animos documentis pariter atque exemplis ad singula virtutum omnium officia informaret. Verùm quis neget esse hunc in adolescentiâ laudis cumulum, si disciplinam bonam apponere lucro nôrit, & credita sibi rerum optimarum semina valeat feliciter promovere.

Hinc vides, Adolescens Nobilissime, quàm læta mihi surgeret dicendi copia, nisi me adversarium malles, quàm laudatorem. Ergò, & tibi ut obsequar vel invitus, aggrediar, &c.

---

## A L I A

*Pro Thesi D. Achillis de Soubeyran.*

**E**Cce postremis nunc demum hujus Lycæi laboribus perfunderis, nobilis & ingeniose Adolescens, & emensus feliciter longioris curriculi stadium optatam jam diu metam propè  
con-



contingis. Restat una discriminis alea, quam sub-  
 eas in præsentia, aut potius imminet nova pal-  
 marum seges, quam veteribus laureis adjicias.

Verùm quid dicam de te, aut potius quid  
 non querar, quem in hodiernâ contentione unum  
 inter cæteros adversarium elegeris? An levioris  
 operæ victoriam illam fore censuisti, si defuetum  
 multos jam annos Philosophicæ palæstræ pugilem  
 ad certamen vocares? An titillasset fortè juveni-  
 lem animum ea laudis æmulatio, ut cum magistro  
 olim tuo certâsse dicereris? an, quia contentio-  
 nes ac rixæ solent esse inter amicos amoris ipsius  
 integratio, sperâsti novum aliquod ex hac con-  
 certatione veteri nostræ necessitudini pondus ac-  
 cessurum?

Quæcumque demum fuerit consilii tui ratio,  
 cùm me descendere tecum in arenam voluisti;  
 ego certè apponam lucro, quem tu mihi præter  
 opinionem tuam commodum offers locum præ-  
 dicandi de te, non tam quod ipse sentio, quàm  
 quod omnes, quotquot te nôrunt, palàm lo-  
 quuntur.

Quanquam modestiæ tuæ facere vim jam vi-  
 deor, & qui statim se prodit in vultu tuo pudor  
 ingenuus, silere me jubet. Sed an æquum est  
 tibi morem ut geram? an, si indulgeam voluntati  
 tuæ, florentissimæ hujusce domûs declinabo of-  
 fensionem, ubi tam illustria dedisti per tot annos  
 virtutum omnium exempla, nisi saltem ipsius no-  
 mine gratias tibi quas debet, & rependit ultrò,  
 referam? Nisi profitear palàm, quàm grave jam  
 injicias apud eos desiderium tui, quibus societate  
 tuâ deinceps carendum sit? An dissimulare mihi  
 liceat, quàm suavis & amica nobis rerum à te ge-  
 starum memoria futura sit, cùm te absente atque  
 inscio retrahabimus candorem animi, suavitatem  
 indolis,



indolis, morum innocentiam, pietatis studium, quibus sic præfulges inter socios, ut illi te in sodalitiis Deiparæ Virginis moderatorem ac præfatum communibus suffragiis assumpserint.

Gratulentur enimverò sibi Parentes optimi, quorum piæ sollicitudini tanto cum sænore responderis. Gratuletur sibi parens amantissima, quam non matrum de more tibi muliebriter blandientem, sed stimulantem ad magna quæque persequens. Gratuletur multò magis parens optimi dignum hæredem sui nominis ac virtutis, & tantum beatum prole suâ se putet, quàm tu parente felix videris. Magnum illud est, quod dico, atque haud scio, an quidquam ad commendationem tuam dici queat illustrius? Nam ut sagacitatem ipsius, prudentiam, dexteritatem in agendis rebus prætermittam; quis illo aut melior, aut amantior æqui, aut amicus deditior, aut imitari pariter ac summis vivit acceptior? Testes appello viros, quotquot hîc adsunt, amplissimos, apud quos tanto in pretio est; testes volo conferentissimos illos egenorum atque inoptimorum greges, qui in Xenodochiis versantur, quorum commodis impendit se totum ac devovet.

Sed dum mihi tacitè suffragantur omnes, sentio orationi meæ reclamari ab iis unis, quibus placuisse imprimis ambiam. Quare, &c.



ALIA